



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

LIV. Vbi praetextu appellationis crimen noscitur committendum, non est appellationi deferendum. Item, si excommunicatus praestito iuramento iudicio ecclesiae sisti, fuerit absolutus, statim appellans ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
 CHRISTI  
 1179.

\*f. obti-  
 nuerit

mento per presbyterum \* tenuerit ab excommunicationis  
 sententia relaxari, in cœmeterio sepeliri poterit. Si autem  
 propinqui eius tuis acquiescere monitis contradixerint,  
 quia iam non est peccatum purgatum, defuncto neganda  
 est ecclesiastica sepultura.

CAP. LIII. *Idem Vintoniensis episcopo.*

Præterea qui ad sedem apostolicam appellant de cleri-  
 cis, & postea grauia & enormia committentes, se, cum  
 conueniuntur, tuentur appellatione: hoc duximus respon-  
 dendum, quod si post appellationem grauia committunt,  
 & ita publice & manifeste, quod alii scandalizentur, & de-  
 cor ecclesiasticæ honestatis deformetur, eos appellantes  
 in tanta nequitia & iniquitate non debes tueri, quo minus  
 coram te excessus canonica censura puniatur. Porro de his  
 qui sententia excommunicationis innodati, iurant eccle-  
 siæ iudicio stare, & mox oblitii, in vocem appellationis pro-  
 rumpunt: discretioni tuæ significamus, quod eos per ex-  
 communicationem compellere debes suam appellatio-  
 nem profèqui, vel iudicio ecclesiæ stare.

Supra de  
 appellat.  
 Quod vèro  
 3.

Supra de  
 appellat.  
 Præterea  
 29.

CAP. LIV.

*Idem Bononiens episcopo & archipresbytero.*

Consuluit nos vestra dilectio, vtrum appellatio, quæ  
 ab omni grauamine interponitur, teneat. Super quo vti-  
 que consultationi vestræ taliter respondemus, quod si for-  
 te generaliter appellationem interponeret aliquis ab omni  
 grauamine, quod sibi contingere posset, huiusmodi appel-  
 latio tenere non debet. Si vero aliquis ab aliquo iudice su-  
 per omni grauamine, quod in vna causâ sibi contingere  
 possit, appellationis obstaculum interponeret: quamquam  
 generalis appellatio sit interposita, appellationi tamen hu-  
 iusmodi est deferendum.

Supra de  
 appellat.  
 Super eo 3.

CAP. LV. *Idem Noruicensis episcopo.*

Si sacerdos sciat pro certo aliquem esse reum alicuius  
 criminis: vel si confessus fuerit, & emendare noluerit, nisi  
 ordine iudiciario quis probare possit, non debet eum nomi-  
 natim redarguere, sed indeterminate, sicut dixit Christus:  
*Vnus vestrum me traditurus est.* Si vero ille cui damnum il-

Matth. 26.  
 Marc. 14.

Concil. Tom. 27.

Ccccc